

aut alterum nummulum exigeret; idque in bien-
nium dumtaxat. Ex eo, cum viderent in urbe
frequentissima colligi pecuniæ vim non modi-
cam (juxta sententiam Hesiodi: *Ex multis minutis
gratis conflatur ingens acervus*) non remissum est,
quod semel coeptum est dari, imo ad hoc exem-
plum plures exactiones excogitatae sunt. Qui
dederat consilium, cum videret se non idem
auctoritatis habere in dissuadendo, quod habue-
rat in suadendo, in maximis animi mœrores
incidit, adeo ut de salute quoque sua desperaret.
Et ut de seipso pœnas sumeret inconsulti con-
sillii, simulque moneret alios, ne ad eundem
impingerent lapidem, testamento cavuit, ut in ea
cloaca, in quam totius illius fori sordes confluunt,
sepeliretur, in quo manet etiamnum in hunc
usque diem suasæ exactionis executio. Videte
adulatores, ne iidem conscientia aculei vos ali-
quando lancinent.

CONCIO II.

HYPOCRITARUM NEQUITIA OSTENDITUR.

I. Sunt dupliciter mali. — II. Deum decipere tentant.
— III. Opera sua bona perdunt. — IV. Difficile
convertuntur. — V. Provocant in se iram Dei.

THEMA.

Quid me tentatis, hypocritæ? Matth. XXII.

Non facile experiemus vitium, quod tam acri-
ter objurgavit Christus, quemadmodum hypo-
crisisin. Patet hoc ex variis locis evangelicæ his-
toricæ veluti Matth. VII. *Hypocrita, ejice primum
trabem de oculo tuo*: et c. XV. *Hypocritæ, bene
prophetavit de vobis Isa. etc.* et c. XXII. in hodierno
evang. *Quid me tentatis hypocritæ? Et c. XXIII.*
ubi septies repetit: *Væ vobis Scribæ et Pharisei
hypocritæ*: rursus, apud Luc. c. XII. *Hypocritæ
faciem cæli et terræ nostis probare, hoc autem tem-
pus quomodo non probatis? Et c. XIII. Hypocritæ,
unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum
a præsepio, et ducit adquare? En quam multa
fulmina contra hypocritas elisa a Dei Filio; me-
rito igitur quærat aliquis, quid Dominum com-
moverit ad tantum hypocritarum odium: quæ
et quanta illorum iniquitas sit. Id quod nunc
videbimus.*

I. Sunt dupliciter mali, teste S. Aug. super Ps.
XXIII. cum ait: *Simulata æquitas non est æquitas, sed
duplex iniquitas, quia iniquitas est et simulatio.* In
corde mali sunt hypocritæ, foris deceptores sunt;
veluti qui amici specie castra hostium ingredi-
tur, ut eos prodat vel occidat. Inimici sunt, pro

amicis tamen haberi volunt: stant ex parte
diaboli, et tamen simulant se stare ex parte
Dei; qua ex causa multum Ecclesiæ nocere pos-
sunt. Nam et hæretici per hypocrisin decipiunt
fideles; quemadmodum et illorum caput anti-
christus per eandem capiet sibi que adjunget
plurimos. Unde Chrys. super Matth. VII. ait:
*Nulla res sic exterminat bonum sicut simulatio: nam
malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur,
non cavetur.* Itaque similes sunt Belo Babylonio-
rum idolo, quod quadraginta pedes longum
videbatur comedere, et esse totum aureum, teste
Herod. I. I. Diod. I. III. c. IV. ideoque suo pastu
et decore attrahebat homines ipsumque adeo
regem ad sui cultum et adorationem. Verum
non comedebat Bel, sed ejus sacrificuli, rursus
inauratus tantum erat, intus æreus et luteus.
Unde Daniel regi ait: *Ne erres rex; iste enim in-
trinsecus luteus est et forinsecus æreus, neque com-
edit aliquando.* Dan. XIV. Similes etiam sunt pan-
theris, de quibus scribit Plin. I. VIII. c. XVII.
« Ferunt odore earum mire sollicitari quadru-
pedes cunctos, sed capitis torvitate terri.
Quamobrem occultato eo, reliqua dulcedine
invitatos corripiunt. » Recte etiam a S. Greg.
Naz. in oratione funebri, comparantur feminæ
turpi et impudicæ, quæ fucos se adornat, ut in-
tuentes capiat: ab aliis vulpi, quæ somnum si-
mulat ut allectas gallinas rapiat.

Deinde, ex eo etiam capite dupliciter mali
sunt, quia intendunt in operibus suis pravum
finem, honorem scilicet, quem Deo furantur, et
sibi attribuunt; atque ad hunc finem adhibeant
vetitum medium, opus scilicet ex se bonum.
Unde primo, sunt fures gloriæ Dei: deinde, fal-
sarii monetæ illius, quam ex aurea faciunt
cupream, dum eam dant pro re vilissima, quæ
facta est ad comparandum cælum.

II. Deum quodammodo decipere volunt; sed
revera seipsos decipiunt, non Deum qui cor
ipsorum videt. Deceperunt quidem olim hypo-
critæ Gabaonitæ magnum illum Josuen, quando
atritis vestibibus et calceamentis paneque mar-
cido venerunt pacem postulantes, quasi de
longe venissent, Jos. IX. Sed nemo hypocrita-
rum, quantumvis simulent nuditatem, pauper-
tatem aliamque sanctitatem, decipient nostrum
Josuen, Jesum. Audivimus enim in hod. evang.
quam cito agnovit subdolos Phariseos et
quam sapienter confuderit. Idem videre est
Apoc. III. ubi episcopus Sardicensem de hypo-
crisisin arguens per epistolam, ait: « Hæc dicit,
qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas:
scio opera tua, quia nomen habes quod vivas,
et mortuus es. » Quasi diceret, inquit Richardus

de S. Viet. « Tu qui coram hominibus per hypo-
crisisin bonum facis, sed in occulte malus existis,
dum me audis septem spiritus habere, animad-
verte me per sapientiam, non solum manifesta,
sed etiam occulta opera, imo et intimas cogita-
tiones intueri. Dum etiam audis me habere
septem stellas intellige me ad te et tui similes pu-
niendos maxime potentem esse, utpote ipsarum
stellarum conditorem. » Hoc igitur ex capite
similes sunt struthiocamelo, qui tametsi gran-
dior est equite, collum tamen inter frutices
occultans, totum se latere existimat, Pier. I.
XXV. hierogl. Dum enim sibi larvam induunt
devotionis et Deum non vident, jam se devotos
habendos et nequitiam suam tectam reputant.
Similes uxori Jeroboam, quæ commutato habitu
venit ad Abiam prophetam, (quem conjectabat
sibi et marito infensum esse) ut responsum ab eo
caperet. Sed agnita mox est a propheta dicente:
Ingredere uxor Jeroboam? Quare aliam te simulas?
Ego autem ad te missus sum durus nuntius, III.
Reg. XIV. Quam putas confundentur hypocritæ,
cum ad iudicium a Christo vocati audient: In-
gredere hypocrita: quare alium te simulasti!
Ego autem durus tibi nuntius sum.

III. Opera sua bona perdunt et absque fructu
faciunt, quemadmodum indicat Christus in epis-
tola ad supra dictum episcopum Sardicensem
scripta, ubi ait: *Non invenio opera tua plena coram
Deo meo.* Quia scilicet carebant recta intentione,
quippe ad inanem gloriam relata: ideo erant
vacua et inania, nihilque merebantur. Similes
proinde in hoc sunt hypocritæ arboribus, quæ
juxta mare mortuum reperiuntur, et fructus
quidem ad speciem elegantes proferunt, poma,
pyra, persica: quæ tamen prorsus evanida sunt;
et ubi tanguntur, in cinerem et favillam resol-
vuntur. Unde Tertullianus seu Cyprianus car-
mine de Sodoma scribit:

Promittunt oculis pyra, persica et omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

Licet igitur ad præsens coram hominibus vi-
deantur esse plena speciosa hypocritarum opera:
tamen ubi a Christo tanguntur in iudicio, abi-
bunt in favillam. Pulchre etiam David comparat
eorum opera feno tectorum, quod nullius est
pretii nullique usui aptum: ac propterea nec
metitur, nec in manipulos redigitur, sed ares-
cere et perire finitur: *Fiant, inquit, sicut fenum
tectorum quod priusquam evellatur exaruit, de quo
non implevit manum suam, qui manipulos colligit,*
Ps. CXXVIII. In quem locum S. Greg. I. VIII.
mor. c. XXVIII. ait: « Fœnum tectorum in alto

nascitur, sed nequaquam radice solidatur: sic
etiam hypocrita summa quidem agere cernitur,
sed non in eis ex cordis puritate roboratur;
quod nimirum fœnum antequam evellatur,
arescit: quia cum hypocrita sine intentione
rectæ cogitationis bona studuit agere; ea amittens
indicat se sine radice floruisse. » Idem Greg.
I. XXXI. mor. c. VI. hac etiam in re hypocritam
comparat struthioni. Ut enim struthio tametsi
cum dolore et labore edit ova sua, nihilominus
tamen edita: *Derelinquit in terra et obliviscitur
quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat, dura-
tur ad filios suos, quasi non sint sui, frustra labo-
ravit nullo timore cogente,* ut ait Job, c. XXXIX. ita
etiam hypocrita, licet opera sua ex se bona cum
labore et sui ipsius mortificatione peragat, ea
tamen nequaquam tuto loco, sed in publicæ
videnda imo conculcanda reponit: unde fit ut
frustra laborarit, jejunarit, orarit, eleemosynas
erogarit, etc. denique, ob hanc causam vocatur
hypocrisis fermentum a Christo, Luc. XII. *Cavete
a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis.* Et
enim fermentum totam massam corripit (ad Gal.
V.) et illius puritatem inficit: ita hypocrisis
omnia bona opera; ut patet in Phariseis, qui
omnia faciebant ut viderentur ab hominibus.

IV. Difficile convertuntur. Cujus ratio est primo,
quia nolunt fateri culpas suas, adeoque nec ve-
niam petere; volunt enim ab omnibus videri et
haberi tales, quales ab imperitis habentur. Unde
Job, c. XXXVI. de ipsis dicitur: *Simulatores et
callidi provocant iram Dei, neque clamabant cum
vincti fuerint. Clamor validus ad Deum est con-
fessio, inquit ibi gl. interlinearis.* Hanc tamen
cum in peccatis suis necnon et morbis lethalibus
vincti sunt edere nolunt, quia sancti videri
volunt, vel quia justo Dei iudicio a seipsis de-
cepti tales revera se existimant.

Secundo, quia peccata eorum latent oculos
hominum et confessarios imprimis: nescitur in
illis latere diabolus: *Sub umbra dormit in secreta
calami,* ait Job, c. XL. *in locis humentibus: pro-
tegent umbræ umbram ejus: circumdabunt eum
salices torrentis.* Umbra, sub qua latet, et securus
dormit dæmon in hypocritis, est species in-
nocentiæ et sanctitatis, quam protegent umbræ
aliæ, cum scilicet alii homines, innocentia et
pietati illorum dant testimonium; qui tamen
communiter sunt salicum instar, leves, inanes,
mobiles et ad placitum unicuique loquentes.

Tertio, quia corripere nolunt, imo se defendunt
cum arguuntur, et obmurmurant, si a confes-
sario de gravioris alicujus sceleris conscientia
interrogentur, v. g. utrum non laborent hypo-
crisisin, adulterio, veneficio, superstitionibus,

dolis, etc. indignantur enim quod talium peccatorum rei quasi insimulentur. Hinc acquiescere debet confessarius nec videt modum ac rationem expurgandi eorum conscientias. Cujus rei figuram habemus, Judic. I. qui dicitur Dominus fuisse cum Juda ad delendos Chanaanæos, qui habitabant in montanis; non potuisse tamen Judam delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Est sane Deus cum confessariis ut sine magna difficultate expugnent corda eorum, qui in montibus habitant, id est, qui aperte cum illis agunt et peccatores se agnoscunt: sed non possunt expugnare corda hypocritarum, qui habitant in vallibus, id est, qui sub ementita sanctitate humiliter vivunt et recte agunt. Hi enim falcatis abundant curribus, quia speciem sanctitatis præ se ferunt, qua seipsum defendunt, et arguentes se redarguunt. Nam, ut ait Greg. in mor. *Hypocrita paratior est mori, quam redargui.*

V. Provocant in se iram Dei, uti paulo supra ex Job audivimus: *Plus enim damnationis accipiant, eo quod prætextu boni operis malum committunt*, inquit Theophylactus, in Matth. c. XXIII. Quod ex maledictione ficulneæ possumus colligere. Legimus enim Dominum postquam Pharisæos hypocritas redarguisset, et relictis illis abiisset, ficulnea, quem viderat secus viam (cum folia tantum haberet, non ficus) maledixisse: *Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum*, Matth. XXI. Quod factum jure mirantur ss. patres. Id enim non processit ex aliquo iræ impetu, sicut cum nos calamo non reddenti atramentum irascimur, illumque conterimus; hic enim inordinatus affectus in Christo esse non potuit. Neque vero animus Christo fuit ficulneam punire, quam culpæ incapax, eo præsertim, quod (uti S. Marcus advertit, c. XI.) non erat tempus ficorum. Itaque non tam erga ficulneam, quam erga hypocritas Pharisæos, a quibus paulo ante relictis ad ficulneam venerat, et quorum typus erat ficulnea illa, folia non fructus adeoque externam tantum, per viriditatem, apparentiam habens, iram et justissimam indignationem suam ostendere voluit, ideoque typum et imaginem illorum, ficulneam inquam sterilem maledixit, ut hinc agnoscerent ejus discipuli aliique omnes, quantam Dei iram mereantur, et suo tempore experturi sint hypocritæ. Ferunt illustrissimum comitem, cum a filio gravi offensione provocatus fuisset, nolletque in ipsum manus convertere, quem perdere volebat, visam filii imaginem in frustra dilacerasse, ut inde filius adverteret, quam graviter parentem offenderet. Hoc est, quod facto suo ostendere voluit

Christus, et quodammodo dicere: *Si in ligno viridi hæc feci, in arido quid fiet?* Si in arbore inculpabili, quæ typus tantum hypocritarum et imago fuit, talem statui vindictam, quantum, existimatis, ipsi veri hypocritæ aliquando punientur? Nimirum sicut ea maledictio arborem illam omni dedecore et virore spoliavit; ita maledictio Christi judicis spoliabit bonis omnibus et nudabit hypocritas, ita ut præter communem aliis probis bonorum confiscationem, singulari pœnæ subjaceant ingentis confusionis; quando nimirum videbunt, se bonis suis operibus nihil aliud mercedis præter ignominiam et gehennam sibi promeruisse. De his enim dicitur Job XX. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent: Ubi est?* Unde enim justi præmia sibi tollent, inde sibi pœnas hypocritæ: ex eadem aurifodina illi sibi aurum, hi vero sterquilinum sibi eruent: ex eodem agro illi sibi triticum, hi vero spinas mētent: et qui videbantur celestem vitam agere et nubes tangere, sanctorum merita pene attingendo, fient execrabiles velut sterquilinum. Ita periit miserime postquam altissime ascendit Absalon; quia vota simulaverat, quæ redderet in Hebron, II. Reg. XV. Sub eo enim prætextu conventus egit, et conjurationem in parentem adornavit, indeque rebellis ei factus paulo post victus et occisus est. Ita et Herodes, qui simulavit se venturum in Bethlehem ut adoraret Dominum, ultione divina eum perurgente, aqua intercute et vermium ebullitione, præter alios acerbissimos dolores extinctus est, Bar. anno Christi 8. Judas item proditor qui ficto osculo, amici specie, Christum salutavit, post non multas horas laqueo se suspendit. Julianus quoque apostata, qui adhuc adolescens clam gentilium superstitioni addictus, metu tamen Constantii imp. foris se Christianum, (imo rasa cute monachum simulavit) uti et initio imperii donec id sibi stabili-ret, (apud Bar. anno 337. et 361.) pessime interiit, divina ultione percussus, et contra Christum exclamans: *Vicisti Galilæe.* Qua voce se cecidisse causa, jureque plexum esse utique confessus est. Id quod omnes hypocritæ ante Christi tribunal facere debebunt. Nam ut ait S. Greg. XVI. mor. « Hypocritæ ante districtum judicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. » Sane apud hunc eundem Greg. lib. IV. dial. capit. XXXVIII. monachus quidam cœnobii Tongolaton leonii,

qui sanctitatem et abstinentiam simulabat, interim tamen occulte vacabat comessationi et voluptati, moriens convenientibus ad se fratribus fassus est suam hypocrisin, addens se devorandum datum esse draconi, qui jam pedes ejus cauda stringeret, et os suum ori ejus inereret animamque exsugeret: eoque dicto infelix obiit. Finio cum S. Chrysost. « Hypocrita, inquit, si bonum est bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est malum esse, quod non vis esse, quid vis apparere? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse: si malum est malum apparere, pejus malum esse; ergo aut appare quod es, aut esto quod appares. »

CONCIO III.

QUID UNUSQUISQUE DEBEAT SIBI, PROXIMO, DEO.

I. Sit judex erga seipsum. — II. Sit mater erga proximum. — III. Sit filius erga Deum.

THEMA.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Matth. XXII.

Scribit Ælianus, in hist. animal. lib. VII. cap. XIII. sublata aliquando Athenis ornamenta e templo Æsculapii, furem tamen a cane proditum fuisse. Hunc enim insecutus canis continuo allatrat, ita ut nec lapidibus, nec buccellis pinguis abigi potuerit, quoad fur in suspicionem furti venit, prædaque spoliatus, pœnas dignas dedit. Videtur mihi hoc calamitoso tempore simile quid contingere. Quid enim sibi vult ira Dei jam per annos aliquot perpetuo nos insequens, allatrans et mordens, nunc tumultu bellico, nunc annonæ caritate, nunc pestilentia? Nimirum instar canis illius littera canina videtur nobis dicere: *Reddite, reddite, reddite. Reddite quæ sunt Dei, Deo: quæ sunt proximi, proximo: quæ sunt vestra, vobis.* Causam, cur hoc existimem, facit illa Dei vox, ad Cainum data, Gen. IV. *Nonne si bene egeris, recipies? Si autem male, statim in foribus peccatum aderit*, id est, peccati pœna, quæ quasi canis aut Cerberus cubans (hoc enim est Hebræum robet) fores peccati obsidet, tamquam peccati vindex; hic mox, ut male egeris, tibi aderit, tibi allatrat, te mordebit et lancinabit, ait ibi Corn. a Lapide. Ergo, audifores, reddere nos jubet canis iste, quæ reddenda sunt. Quænam vero illa sint, nunc videndum.

Omnes christianæ virtutes, uno comprehensæ nomine *justitia* vocantur. Nec male; nam jus-

titia proprium est, unicuique dare quod suum est. Tribus autem unusquisque obligatus est: sibi, proximo, Deo. Hic qui, quod debet, reddit, justum se esse sciat. Quæ autem illa sint, explicat Michæas, capit. VI. cum ait: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum debes tibi, secundum proximo, tertium Deo. Vis dicam tibi, secundum proximo, mater erga proximum, filius erga Deum. Atque in his tribus ponit S. Bern. serm. LVII. in Cant. plenam hominis perfectionem, nimirum: ut sit placens Deo, cautus sibi, utilis proximo.

I. Ergo sit judex erga seipsum. Ita monet apostolus, I. Corinth. XI. *Si nos ipsos dijudicemus*, inquit, *non utique judicemur.* Duo autem sunt, in quæ suam exercere jurisdictionem debet. Primum, corpus. Et quomodo hoc tractandum? Velut asinus et servus. Et quid de his Ecclesiasticus, cap. XXXIII. *Cibaria et virga et onus asino; panis et disciplina et opus servo.* Debetur ergo corpori primo, panis seu victus moderatus, minime exquisitus aut superfluous: quem et petimus in oratione quotidie. Qui nimio pabulo asinum pascit, deprehendet calcitrantem. Similiter qui servo potum tribuit nimium, habebit eum ebrium sibi que rebellem et ad munia sua inutilem, idem expectandum de corpore saginato. Caro exsanguis nisi myrrha condatur, cito putrescit et vermes gignit: sic et caro nostra deliciis corrumpitur, amaritudine abstinentiæ conservatur. Secundo, disciplina et compositio exterioris hominis incessu, vestitu, loquela: ut ex ejus conversatione ædificentur proximi. Unde apostolus ad Rom. XII. ait: *Providentes bona non tantum coram Deo; sed etiam coram hominibus.* « Tribus autem modis, (ait S. Bern. serm. de triplici judicio), providemus bona coram hominibus: habitu, actione, sermone; habitu, ne sit notabilis; actione, ne sit reprehensibilis; sermone, ne sit contemptibilis: » et II. Cor. II. vult idem apostolus Christianos esse bonum odorem omnibus: *Christi bonus odor sumus*, ait. Unde sicut qui contrectant aliquid odoriferum, etiam ipsi odorem contrahunt: sic verba, gestus et opera Christiani talia esse debent: ut quicumque illo familiariter utuntur, per illius conversationem quodammodo sanctificentur. Sic decet, ut hæreticos ædificent et imbuant sua conversatione catholici. Tertio, opus, id est, labor assiduus, quia etiam hic præservat hominem a vitiiis quam plurimis, (quæ alioquin gignit otium,) et ut licet exerceat hominem. « Quis utilior est, ait S. Chrysost. hom. XXXV. in Acta, is qui in deli-

ciis, vel qui exercetur? Quæ navis, ea quæ navigat, vel ea quæ in littore manet? Quæ aqua eane quæ fluit, vel quæ stat? Quod ferrum, an quod secat et scindit, vel quo nemo utitur? Nonne illud quidem splendet, ac argento simile est, hoc autem rubigine consumitur, et ubique inutile est? Tale quiddam sit etiam in otiosa anima. Rubigo enim quædam apprehendit illam, et consumit splendorem alia omnia. » Ergo sicut otiosos homines compingere solet iudex in ergastula: sic faciat quisque corpori suo. Gymnosophistæ, Indorum sapientes, cum cibi mensis apponerentur, prius adolescentes interrogabant, quid a lucis ortu didicissent vel fecissent. Qui nihil afferre in medium poterat, impransus extrudebatur foras, Apuleius, I. Florid. Simile iudicium exerceat in se quisque: *Sic quis non vult operari, nec manuet*, ait apost. II. Thess. II. si enim hoc facit unusquisque servo et asino suo, faciat et sibi.

Secundo, anima, cui veluti civitati obligatur potissimum ad tria. Primo, ut civitatem servet et tueatur: secundo, ut cives in officio contineat et legibus adstringat: tertio, ut jus dicat. Primo, ergo observare debet portas civitatis, id est, quinque sensus et linguam, ne per illas ingrediatur vel egrediatur aliquid noxium, hostile vel pestiferum. De his enim ait Jerem. capit. IX. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, etc.* Quod explicans S. Hieronymus, lib. II. adversus Jovinian. cap. VII. ait: « Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante metropolis et arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. » Ergo sicut præfecti urbium in custodiendis portis sunt cautissimi, prædarios adhibent, lata lege ne promiseue admittant quoslibet, nec nisi sub juramento, si de peste aut prodicione suspecti sint: antemuralia erigunt aut ponticulos, qui pro arbitrio attolli possunt: addunt utrinque turres munitas, suspendunt ante portam crates ferreas aut ferro acuminatas, quas dejiciunt contra hostium ingressum: ita munit quisque sensus suos, per quos veluti per portas, mille rerum species ad mentem inferuntur. Quod vel movet ipsa natura, quæ tot vallis, ambagibus, tunicis, palpebris, superciliis, etc. munivit sensus nostros. Nec mirum, quia fures per eos ingressi, plurimis bonis spoliant hominem: uti, attentione et suavitate orationis, mentis quiete et serenitate, ipsaque demum gratia. Quod si qui tales forte irrepserint, mox cogantur edere nomina sua, uti fit in aliquibus civitatibus, prodantur ut capiantur, saltem in examine conscientiæ.

Secundo, cives legibus adstringat, et in officio contineat, potentias videlicet animæ, et primo appetitum sensitivum cum omnibus suis desideriis et motibus naturalibus, ut sunt, amor, odium, lætitia, mœror, desiderium, spes, timor, ira, etc. Hic enim appetitus, cum sit animæ pars ignobilior et bruta magis quam humana, facit vos vilescere, et potissimum trahit ad terrena, atque a cœlestibus longissime abducit. Et quomodo Eva pellexit Adamum ut oculos attolleret ad arborem interdictam: ita pars illa animæ inferior, infirma et sensualis, trahit partem superiorem, intellectum et voluntatem ad illicita et noxia. Ergo sicut maritus imperat uxori, et sicut iudex vel magistratus diligens perambulat civitatem ut tumultuantes in tabernis cives, vel infames muliereulas coerceat et compescat: ita faciat Christianus in civitate animæ suæ, alioquin non tam Christianus quam gentilis, carnalis et bestialis erit. Secundo, imaginationem ad officium suum compellat. Est enim instar servi fugitivi qui ex ædibus se proripit non accepta licentia et totum sæpe percurrit mundum, antequam sciatur ubi sit: est feræ instar belluæ, capræque fugacis, saliens in montibus, transiliens colles; ideoque ad præsepe alliganda: est veluti canis, qui, ut fit in quibusdam culinis, rotam assaturæ vertere debet, sed subinde sese proripit, et omnes platearum angulos percurrit, omnia rimatur et rodit, nec sine difficultate et verberibus ad rotæ ergastulum impelli potest. Ergo comprehendendus est hic canis et rotæ alligandus attentæ orationis vel alterius pii studii, ut in eo occupetur et persistat, donec grata Deo assatura percoquatur. Tertio, civibus ingenuis, intellectui et voluntati pacem, quietem et bene agendi libertatem faciat; male autem agendi aut ad pestifera loca excurrendi vias præcludat.

Tertio, jurisdictionem in subditos suos exerceat. Quemadmodum enim iudex licetorem suum habet, qui perambulet civitatis plateas, forum, tabernas, officinas; observet legum prævaricatores, blasphemos, fraudulentos mercatores, rixantes, præceptorum ecclesiasticorum violatores, etc. deinde reos deprehensos citat, examinat, incarcerat, et mulctat pro ratione delicti: ita unusquisque in seipsum animadvertat, et primo per vestiget solerter ubinam deliquerit, deinde citet reos, delicta sua, ad reddendam rationem: Cur ita deliquisti? Quomodo sic cecidisti? Postea mittat ea in carcerem, mandando sedulo memoriæ; ut proxima occasione producantur ad tribunal confessionis: interim in seipso non differat ea punire. Superbiam plectat capite, ponendo supercilium, terram osculando, humilita-

tem sectando; avaritiam bonorum proscriptione, id est, elemosynæ elargitione puniat; luxuriam exilio; odium incendio oblivionis; gulam laqueo abstinentiæ; aediam ergastulo laboris, etc. Hoc iudicium in seipsos quotidie exercebant, Seneca, Sextius, Cato, homines ethnici, ut vidimus alibi, dom. IV. post pent. c. VI. Quidni faciat hoc Christianus?

II. Sit mater erga proximum. Jubetur enim ex lege diligere proximum sicut seipsum? Nemo autem hoc melius facit, quam mater diligit filium, qui est pars quædam ipsius matris. Ideo in ss. litteris amor matris in filium præfertur omnibus aliis. Et sic dilexit David Jonatham optimum suum amicum, de quo perempto dixit: *Sicut mater unicum amat filium; ita ego te diligebam*, II. Reg. I. Jam quid facit mater filio: primo, alit et vestit filium (quamdiu id sibi ipsi præstare non potest filius) et ita quidem sollicite, ut sibi necessaria detrahat, quo filio impertiat; ream etiam se parricidii existimaret, si filium fame pateretur interire. Ergo fac hoc et proximo tuo, cum vides eum desertum et pati necessitatem. Alioquin: *Qui habet substantiam hujus mundi, ait S. Joan. epist. I. c. III. et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Viscera, inquit, q. d. deberet ex intimis visceribus quasi mater compati filio suo, adeoque sua viscera ei communicare. Ergo ut mater pascit foetum in utero, velut viscera sua, si non pascat, occidit: ita et tu proximum fame morientem: *Si non pavisti, occidisti*, ait S. Ambrosius.

Secundo, instruit verbo et exemplo, in loquela, in doctrina et disciplina christiana bonisque moribus, cum illo balbutit et errat, donec errat eum dedoceat. Sic fac et tu proximo, et discite id ab apostolo, qui Thessal. II. ait: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix fovet filios suos, q. d. balbutivi vobiscum id meis sermonibus, donec loqui vos docerem.*

Tertio, corrigit errantem et castigat cum lenitate et moderamine, non cum ira et asperitate; virga, non baculo, ut fere solent patres. Sic corripiens proximum utere mellitis verbis, ne alias correptio videatur non a ratione et benevolentia, sed ab odio fastuque proficisci, ideoque fiat molesta. Atque ita etiam monet apostolus delinquentem fratrem instruendum: *In spiritu lenitatis. Hujusmodi instruite*, inquit Gal. VI. (Græce *erigite vel instaurate*) in spiritu lenitatis, quomodo debilem collapsum erigimus.

Quarto, mater lapsus filium, accurrens erigit, et piagam quasi abstersura demulcet, subvenit afflicto, condolet dolenti, congaudet vicissim gaudenti: sic faciendum proximo.

Quinto, suffert ejus defectus, imbecillitatem, ignorantiam, fletum, sordes aliasque molestias omnes, amore ejus, devorat. Simili ratione: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, ait apostolus ad Rom. XV. et ad Gal. VI. *Alter alterius onera portate*. Sic tranant cervi maria, dum ordine natantes, posteriores ponunt capita cornibus prægravata in dorsa priorum.

Sexto, ignoscit offendentem se, statimque reconciliatur, et excusat injurias atque extenuat. Ita excusa et ignosce et tu injurias, quasi infert tibi proximus.

III. Sit filius erga Deum. Ita mandavit Christus, cum jussit nos orare: *Pater noster, qui es in cœlis*. Idem ostendunt Dei in præ beneficia creationis, conservationis, alimonæ, redemptionis, justificationis, adoptionis. Idem requirit imago Dei, quam in nobis expressam cernimus, tum naturalis, quæ consistit in natura rationali; tum supernaturalis, quæ in gratia. Jam quid debet filius patri? Primo, honorem. Ideo bene morati filii, cum mane e lecto surgunt, ante omnia patrem salutant et manum ejus osculantur: pene ipsum incedunt ad ultiores facti, honorem patris tuentur, et armis defendere non dubitant. Simili modo nos mane ante omnia Deum salutemus, nosque ipsi commendemus et homagium præstemus. Deinde, ad s. missam eundem venemur, flexisque adorem genibus. Si enim David matrem, III. Reg. II. si Joseph adoravit patrem, Gen. XLVIII. nos non adoremus Deum? Nec minorem honoris ejus zelum gerere nos decet. Quis enim æquis oculis videat offendi patrem? Cœsi filium novimus ex muto factum vocalem, cum inhiheret militem, stringentem in patrem gladium, exclamando: *O homo, ne Cræsum regem occide!* Valer. Max. lib. V. cap. IV. Et taceamus nos Christiani, cum videmus offendi Deum Patrem nostrum? Non exclamemus: *O homo, ne cæde Deum, lingua tua, manu tua, etc.*

Secundo, obedientiam. Bonus enim filius observat nutum patris, et mandata ejus exequitur hilariter, nulla alia præmii spe, nisi ut patri placeat: totusque ab ejus arbitrio regitur et pendet. Vide Isaac bajulantem sibi rogum et ambulantiem cum patre, velut ovem ad macellum suum, quomodo dorsum supponit oneri? Quomodo patitur se ligari? Quomodo rogo imponi? Eandem debemus Ecclesiæ tamquam sponsæ Christi, in observandis ejus præceptis.

Tertio, imitationem in virtutibus et actibus heroicis. Sic enim fere imitantur filii parentes, in loquela, incessu, moribus. Itaque Christianus imitetur Deum, cujus imaginem gerit, juxta monitum apostoli ad Eph. V. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*. Videat, cum quid acturu-